S. ISIDORVS
AGRICOLA HISPANVS
PATRONVS
MADRITENSIS
Breui Encomio adornatus

A B
ANTONIO SANDERO
PRESBYTERO BELGA
S. Th. Licentiato.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANTVERPIÆ,
Apud GVLIELMVM à TONGRIS.

M. DC. XXIII.

ILLVSTRISSIMO
A C
REVERENDISSIMO
DOMINO D.
IOANNI FRANCISCO
EX COMITIBVS GVIDIIS
à Balneo Archiepiſcopo Patraceño Sanctiſſimi Domini noſtri Gregorij diuina prouidentia Papæ XV. ac ſanctæ Sedis Apoſtolicæ ad Belgas cum poteſtate Legati à Latere Nuntio

ANTONIVS SANDERVS
D. D.

ORo te Illuſtriſſime Dominè paululum illos mentis tuæ oculos ab auguſta Principum ac Magnatum purpura, quam fortè non vſque adeo in delitiis habes, & à ſublimibus illis curis, quas

pro Rep. Chriſtiana ſuſtines ad minutias & ſtiuam S. Iſidori conuerte. Aſpernaris id inſtrumentum, ac vilius habes, quàm quo ſe tuæ dignitatis fulgor abiiciat? neutiquam; nullum enim humano generi præſtabilius, nullum eſſe fructuoſius non ignoras. Ipſum etiam iſtud ſuis potiſſimùm manibus cum in patriam venit ac parenti fabro ſubderetur, in ſubſidium rei familiaris (obſtupeſcite cœli & terra inenarrabilem atque incomprehenſam Dei-hominis humilitatem!) concinnauit, atque dum Euangelia ſancta reuoluimus, ſub illius potiſſimùm inſtrumenti typo diſciplinam æternæ ſalutis Saluatore noſtro adumbratã videmus. Maximæ olim inter Romanos animæ poſitis faſcibus, relictaq́ Capitolij maieſtate, pulcherrimo continentiæ exemplo coloni ſæpenumerò facti ſunt. Auſim dicere, non vllum fuiſſe in illa Rep. quæ omniũ totius orbis vti potentiſſima, ita laudatiſſima fuit, præſtantẽ virum, qui tametſi fortè manibus ſuis ea nõ attingeret, ſancta tamen illa τῆς γεωργίας *exercitia non dilaudaret. Audiamus diſertum illum Romanarum ac exterarum virtutum*

Vide Clement. Alexãdrinum & Iuſtinum Martyrem.

tutum

tutum Encomiaſten Valerium: Illi etiã præ-diuites, qui ab aratro accerſebantur, vt Cõ-ſules fierent, voluptatis cauſſa ſterile atque æſtuoſiſſimum Pupiniæ ſolum verſabant, de-litiarumq́ ignari, vaſtiſſimas glebas pluri-mo cum ſudore diſſipabant: Imò verò quos pericula Reip. Imperatores aſſerebant, an-guſtia rei familiaris (quid ceſſo propriũ no-men veritati reddere!) bubulcos fieri coge-bat. Attilium autem, qui ad eum accerſen-dum à Senatu miſſi erant, ad Imperium po-puli Romani ſuſcipiendum, ſemen ſpargen-tem viderunt: ſed illæ ruſtico opere attritæ manus ſalutem publicam ſtabilierũt, ingen-tes hoſtium copias peſſum dederunt. Quæq́ modò arãtium boum iugũ rexerant, trium-phalis currus habenas retinuerunt, nec fuit iis rubori eburneo ſcipione depoſito, agre-ſtem ſtiuã aratri repetere. Ita ille. Ego verò Illuſtriſſime Domine, nequaquam te à pa-latiis, ab vſu Principum, vbi Dei gloriam iugiter & Eccleſiæ bonum curas, à negotiis quoque magni momenti ad agri otia ad in-feriora hæc detractum volo: obiter tantùm Iſidorum adſpice ruſticantẽ non inſcitiam

Valer. Max. lib. 4. Tit. de paupertate.

Dei, non obſtinationem, non iuramenta vel blaſphemiæ vomitus, non temulentiam, non alia hoc æuo (eheu deplorato!) agreſtium vitia: verùm innocentiam, candorem, iuſtitiam, ſanctitatem, prodigia, & Angelos iunctim adſpicies. Vale Illuſtriſſime Domine, ac me ſolito beneuolentiæ adfectu complectere. Gandaui Kal. Octobris 1622.

CLARISSIMO VIRO
D. ANTONIO SANDERO
THEOLOGO
Sanctum ISIDORVM edenti
gratulatur
F. IACOBVS ZEVECOTIVS
Auguſtinianus Eremita.

Heſperij Sandere notas dum facta Coloni
Et titulos magnus quos Iſidorus habet.
Qui potuit Regi minitantia fata Philippo,
Siſtere, & inſtantis vertere tela necis;
Quiq́; prius vermes, centum poſt luſtra ſepultus
Intacto vetuit corpore poſſe frui,
Non ſinet ille tuos violari morte labores,
Viuet at æternus poſt tua fata liber.

Quis

Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo & in terra?

PSALM. 112.

DVdum latuiſti ſanctè Iſidore, ac Deo ferè ſoli cœlitibuſque cognitus à miſeris mortalibus ignoratus es. Sed ita fieri ſolet, quæ maximè pretioſa ſunt, diutiſſimè tellus occulit; Gemmarum optimæ, metallorum præſtantiſſima penitioribus terræ cauernis incruſtantur, quæ perfecta magis tandem quoque & longiore conatu natura enititur; inter fruges quod vtiliſſimum, quod palato hominum ſapidiſſimum ſerius matureſcit. Sic etiam rerum pulcherrima

Veritas poſt laborioſam indaginem & accurata ſcrutinia demum inuenitur. Tandem diuina te bonitas Iſidore, orbi noſtro manifeſtum fecit, & adnitente cumprimis apud Sedem Apoſtolicam Philippo tertio Hiſpaniarum & Indiarum Rege potentiſſimo (cuius ea fuit indoles, quę candori tuo maximè reſpondebat) poſitus es ſuper candelabrum, vt luceas omnibus, qui in domo ſunt, rectiſſimarum videlicet operationum exemplis, diuinarumque rerum præſidiis ac patrocinij cœleſtis influxu, vt in cœlo formoſus ille mundi oculus ſparſis per inferiora radiis, diffuſoque lumine mouet eadem, ac vitali calore fouet, atque fœcundat. Miramur te, quotquot præclara tua facta intelligimus Iſidore, ſtellam nouam, ſtellam velut

poſt

poſt nebulas & aliquam cœli caliginem in ſplendoribus Sanctorum, in firmamento iuſtitiæ tam inuſitato lumine radiantem. Tua ſcilicet Philippe in Deum pietas, tuus in diuos amor hanc nobis accendit facem, vt meritò auguſtis manibus tuis impenſiùs adprecari, & Nato, quem non minus paternæ virtutis, quàm potentiæ hæredem agnoſcimus, omnia proſpera vouere debeamus. Fœlix Hiſpania! Occidentem occupas, in te quotidie tamen quot oriri Soles conſpicimus. Fœcunda tellus, ac non minus præſtantium ſanctimonia virorum quàm generoſarum frugum parens. Ignatius, Xauerius, Tereſa, Ludouicus Beltrandus, Thomas Eleemoſynarius, Simon Valentinus, alij plures tuæ fortunata germina ſunt vbertatis.

Quis

Quis te beatam non prædicet? cùm tuam non in præſulibus ſolis, non in exercitatione ſeria & longa Antiſtitum & monachorum, nec in religioſis ac eruditis cœtibus hærentem, ſed ad plauſtra vſque & agrorum ruditatem perueniſſe Iuſtitiam videamus. Fœlix Hiſpania nunc orbis Imperium tibi Dęus dedit, illius gloriæ fructum ſecura cape. Ex te quotidie oriuntur Sancti, noua ſimul potentiæ tuæ columina, noua fulcra. Ita profectò ſuper muros tuos conſtituti à Domino cuſtodes, tota nocte non ceſſabunt vigilare pro te, quamdiu videlicet cum illorum honoribus tu Catholicam ęmulabere pietatem. habebis aurum vt Deus inuocetur, vt nequitia frangatur hæreſeon, vt mentibus plurimorum ſplendor Orthodoxę Veritatis

tatis adfulgeat. Indiarum opes tibi Deus dedit, fortes etiam tibi bello dexteras, ac viros prudentia claros; At ego te magis cœleſtibus hiſce præſidiis, quàm terrenis, quoniam caro ſunt, firmandam ſpero. *Sancti per fidem vicerunt regna*, tuentur Imperia, caſtra verterunt extero-rum, monarchas & ſceptra defen-dunt; bono itaque conſilio Regiæ ciuitatis patronus Iſidore conſtitu-tus es; de beneficiis, de tutela tua non dubitatur, magnus aratro venit ho-nos, pauper Agricola proceres pur-puratos, palatium, Regem ipſum ſuo numine defenſabit. è prioribus factis quod futurum ſit auguramur; Ac quis demum optata ſibi ab ora-tionibus huius Agricolæ non pro-mittat auxilia, cùm etiamnũ in hac mortali vita ſuis ille precibus ſæpe-numero

Heb. 11

numero de cœlo Angelos euocarit, corumq́; pręſentia, vt olim magnus ille Hebræorum pater Abrahamus, Iacob, Moſes, aliique Sanctorum eximij honoratus eſt. Auſpicia ſanctitatis ab orationibus ſumenda ſunt, illis inſtitit Iſidorus feruidus ſemper ac indefeſſus, atque ita cœleſtium donorum amplitudine dilatatus, ac rore ſpiritalium gratiarum ſucculentus creuit in virum
Sap. 7. perfectum: *Inuocaui*, inquit ille, *& datus eſt mihi Spiritus ſapientiæ.* ac
Pſ. 118 regius Pſalmiſta: *Os*, inquit, *meum aperui, & adtraxi Spiritum.* non aliter piiſſimus noſter Agricola, aperuit os ſuum, & de penetralibus viſcerũ, de intimo cordis abſceſſu locutus ad Dominum, omne temporis punctum & neceſſitatibus ſuis explicandis, diuiniſque laudibus

memo-

memorandis tranſegit; terrena hæc etiam & permiſſa alioquin corpori ſuſtentando, acquirendiſq́; alimentis miniſteria neglexit, vt ſanctioribus exercitiis bonas horas conſecraret, neque piis eius adfectibus beneuolentia numinis vſquam defuit, ſed cùm laborum ſuorum incurius eſſet, nec humanâ induſtriâ niteretur, quam tantopere æſtimare ſolet perituræ carnis infirmitas, adeò vt frequenter aratro iumentiſq́ue relictis ad vicina fortè nemorum ſecederet, ibiq́ue ſub arbuſto quopiam in genua prouolutus diuinam opem imploraret, ſæpius ad ſtiuam Angeli apparuerunt, ac operi ruſtico, ſulcoq́ue ducendo prodigioſâ cœlitum manus vicariam operam impertiuit; lupus etiam aliquando, fera alioquin ſemper noxia, & in per-

perniciem aliorum animalium nata Aſinum ab Agricola noſtro alibi relictum defendit, qui etiam dum nulla vi externa opprimitur, iuxta Aſinum tamen illum mortuus reperitur. Scilicet attentioribus rerum diuinarum curis humana non dilabuntur, cùm ſeriis & æternis præter ordinem prouidentiæ noſtræ occupamur, cùm diuinum honorem, cùm animarum bona ſtudiosè quęrimus, quod ſedulæ manus, quod improbus non peperiſſet labor, cœleſti nobis benedictione protuberat. *Sæpiùs* perperā agimus ô Chriſtiani, & quia veram œconomiæ rationem ignoramus, pauperes ac omnium egeni ingemiſcimus. Cōſilia noſtra adprobamus, Domini ſpernimus; à noſtra ſperamus ſolertia, quæ mera Dei donaria ſunt.

Hinc

Hinc illæ lacrymæ, hinc, ſi veritatem fateri volumus, fundi noſtri calamitas, vt menti vacet, vt Deum honoret, deſerit omnia, arare etiam, quod alioquin eſt laudabile, & omnino faciendum, negligit Iſidorus, & ecce quia ęmulatur meliora, quia primùm Dei regnum & iuſtitiam eius quærit, quia in Domino confidit, & in Spiritu magis quàm in præſidio corporum gloriatur, prodigia cernit adſtantium Angelorum, & immanium ferarum obſequia experitur. Quàm non illa moribus hodiernis ſimplicitas placet. In omnibus aliam inimus viam, ad neruos, ad induſtriam, ad robora noſtra reſpicimus, nos amentes & inſenſati, per noſtra potiſſimùm ſtudia ſperamus vbertatem, & ecce fames. Magnas meritò clades lapſis

in

in eam quoque ſtultitiam Hebræis
Agg. 1. olim Propheta exprobrauit: *Seminaſtis*, inquit, *multum*, *& intuliſtis parum: comediſtis*, *& non eſtis ſatiati: bibiſtis*, *& non eſtis inebriati: operuiſtis vos*, *& non eſtis calefacti.* ac paulò pòſt: *Reſpexiſtis ad amplius*, *& ecce factum eſt minus*: *& intuliſtis in domum*, *& exſufflaui illud.* Quare, quomodo? *Quam ob cauſſam dicit Dominus exercituum? quia domus mea deſerta eſt*, *& vos feſtinatis vnuſquiſque in domum ſuam.* Aliis verbis ego dicam, quia minus in Domino, quàm in viribus propriis ſperauiſtis, audite adflictiones:
Ibid. *Propter hoc ſuper vos prohibiti ſunt cœli, ne darent rorem*, *& terra prohibita eſt*, *ne daret germen ſuum.* Quia de ſuo ſperauit infœlix homo, quod à Domino fuerat expectandum,

ctandum, quia melioribus ſtudiis neglectis, quod minus laude dignum curâ impenſiore ſectatus, fuiſq́; plus adinuentionibus, quàm diuinæ benignitati innixus eſt. Vtinam vel in præcipuo ſaltem, quo ſalus Reip. conſtare debet, errorem hunc noſtrum videamus ô Chriſtiani! peccata militiæ noſtræ vel vtinam emendemus! conſcribimus legiones, multiplicamus cohortes, rutilant in armis equitum millia, robuſtus ac vegetus in campum educitur miles, quidquid victoriam parare poſſit conuehitur. Et quid tandem per tãta rerum impendia? quo fructu tam numeroſus coiuit exercitus? redimus cum ignominia domum, hæreticos non ſuperamus, prouincias noſtras deterimus, ciuem & agricolam pariter exhaurimus.

mus.quibus fontibus illæ profluunt noxæ?forſitã,quia in Domino non ſatis ſperauimus, conſilia noſtra per menſes & annos parturimus, ſcientiam & alacritatem noſtram adprobamus, in virtutibus noſtris egredi velle videmur, militem ſceleratum patimur,de moribus,de vita eorum, qui in hoſtem procedere debent, nihil curamus, caſtra rapinis, blaſphemiis, ſcortationibus, adulteriis inquinantur, diſciplina dilabitur, æmulatione & inuidia duces contabeſcunt, odiis ac ſimultate maligna conatibus bonorum obſiſtitur,propoſita rerum noſtrarum etiam obliqua ſunt, baltheo cingimur, vt pecuniam habeamus, vt honores, vt vanam gloriam aucupemur, non Deum,nõ Veritatem, non Eccleſiæ bonum, non regiæ cauſſæ iuſtitiam

ante

ante omnia, ac vix vltimò cogitamus; præmiis digni carent, indigni florem regiarum largitionum vorant, non ſatis in Domino confidimus, pios etiam monitores contemnimus, Sacerdotes viliter & abiectim habemus, in Domino non ſatis confidimus, vix fidem ſeruamus, Hebræorum vitiis inuoluimur cum illis increduli ſumus, Societatem impiorum, quaſi ſine illis nihil poſſimus, non reſpuimus, vt meritò obiici poſſit: *Væ filij deſertores qui* Iſ. 30.
ambulatis ſperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Ægypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem, & fiducia Ægypti in ignominiam. Quàm fœlicior rerum ſtatus eſſet, quàm glorioſa nos bearet victoria, ſi cum fortiſſimo pariter ac

ſanctiſſimo Rege Propheta ad Do-
Pſ. 43. minum clamaremus: *Non enim in arcu meo ſperabo, neque gladius meus ſaluabit me: in te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis.* Si cum probiſſimo itidem viro poſ-
1. Eſd 8 ſimus dicere: *Erubui petere à Rege auxilium, & equites, qui defenderent nos ab inimico in via: quia dixeramus Regi: Manus Dei ſuper omnes eſt, qui quærunt eum in bonitate: & imperium eius, & fortitudo eius, & furor ſuper omnes qui derelinquunt eum.* At nunc quia, quod Abacuc
Abac. 1. abominatur, contingit: *Immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo.* quia vnuſquiſque ingenium, artem, induſtriam ſuam admiratur & adorat, quia populus alioquin ſanctus cum malis coniungitur, quia etiam

vidit

vidit Ephraim languorem ſuum, & Iudas vinculum ſuum, & abijt Ephraim ad Aſſur, & miſit ad Regem vltorem. En Nemeſin errata noſtra inſequentem: *Comederunt alieni robur eius, & ipſe neſciuit, ſed & cani effuſi ſunt in eo, & ipſe ignorauit.* Os. 6
Quanto ſapientior Iſidorus, ſecurus reliquorum, ſolius Dei ſollicitus fuit, quod ipſe poſſet, etiam neglexit, auxilij in omnibus diuini præſtolabundus, aſſiduis precibus non ſolùm animi innocentiam, at cætera quoque tueri ſe poſſe confidebat, ac ſæcularium incurius ad ea quæ perpetim manent anhelabat, illum vix vlla temporum momenta non intentum cœleſtibus adſpexerunt. Cor ei calidum flammaque dilectionis æternæ ſuccenſum erat, ab illo noctes atq; dies ſuper omnia

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

aromata odoratum ſacrarum orationnm Thimiama in conſpectu diuinæ bonitatis aſcendebat. Ita ad Prophetæ monitum exaltauit vocem, leuauit manum, quia roboratis per ieiunia orationibus, manuq́ue ſemper pauperes conſolari promptus, eaq́ue ratione ſibi magis proſicuus vellere fraternæ charitatis ſancta orationum exercitia contegebat. In tenui rerum facultate animis opulentus, eorum amplitudine vel regum donaria coæquauit; nimirum vel ſolis adfectibus munifici eſſe poſſumus, & liberales, cùm pro animi ſtatu ſupremus rerum Dominus donatiua ſoleat æſtimare. Magnus Eleemoſynarius fuit Iſidorus, quia de pauculo multum non timuit elargiri; qui de multis paucula, qui illubenter, qui etiam ferè omnia

omnia donauerunt, non eam munificentiæ laudem habent. Stupete miraculum; etiam quod non habuit Agricola noſter, donauit; nam ollam antè vacuam, vt egeno cibus eſſet; pulmenti plenam Deo procurante, inuenit. De duabus tunicis vnam non habenti, quod ſupereſt erogare iubemur; nihil ſuperfuit, nullam habuit Agricola noſter, & tamen dedit. Fauet nimirum eleemoſynis Deus, & ſi eloquiis eius fidem habemus, non eſſe illi hoſtiam miſericordiis pauperum gratiorem cogimur fateri, eam acceptat, eâ litamus, eam reciprocis largitionibus ſemper, & vltra modum compenſat. *Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis*, ac artem omnium quæſtuoſiſſimam exercuiſſe ſe nunquam non ſenſit, quiſquis verè pius fuit.

fuit. Famelicum Eliam cineritio pane prius quàm ſe & filiam Sareptana pauit, & ecce illi Hydria farinæ non defecit; neque lecythus olei
1. Cor. 9 imminutus eſt, nimirum: *qui parcè ſeminat, parcè & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet*, humanæ ſubſtantiæ vbertatem cœleſtiſque gloriæ duraturam mercedem. Imitemur ô Chriſtiani etiam in anguſtiis poſiti, etiam paupertate preſſi, animum Ruſtici liberalem. Inopiæ metum
Prou. 28. propellamus: *Qui dat pauperi, non indigebit: qui deſpicit deprecãtem ſe, ſuſtinebit penuriam.* Heroicos agricolæ adfectus & Iuſtitiam omnino regiam æmulemur. Vera Sapiens
Prou. 30. ſcripſit, *De primitiis frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia tua*

tua redundabunt. Calamitatibus, incendiis, rapinis, fame, nuditate, ærumnis auaritia noſtra flagellatur. Vidit ea infortunia idem Sapiens: *Alij diuidunt propria*, inquit, *& ditiores fiunt, alij rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt.* Eam non timuit liberalis noſter Agricola, ſed licet poſſeſſionibus exilis, ac ſupellectile arctus, *non comedit tamen buccellam ſuam ſolus, ſed erat pes claudo, oculus cæco, pater pauperum, & cor viduæ conſolatus eſt.* De aliis ſollicitus, quid ipſe manducaret, non cogitabat; ergo profuſus in reliquos, ac benignus, in ſeipſum durus cum eſſet, vnica pulmenti portione à ſociis ipſi ſeruata, prodigium agnoſcite, vt omnibus etiam ſupereſſet, pauperum multitudinem ſatiauit, aliàs etiam cibo, vinoq; tantillo, vt viginti homi-

Prou. 11.

Iob. 31.

hominibus vix ſufficeret, trecentos expleuit. Quid laboratis Agricolæ? quid puſillanimes eſtis, & curarum angore diſtenti? imitamini Iſidorum veſtrum, cum illo quærite primùm regnum Dei & Iuſtitiam eius, & minora adiicientur vobis. Confidite in Domino, & ipſe faciet, alet pauperes, in neceſſitatibus veſtris non vos derelinquet. Domeſtica vobis ſunt onera? vexant cenſuræ? deterit miles, bellorum vos onerat furor? vorat labores veſtros locuſta? infeſta horreis dominantur animalia? Inopiæ veſtræ malum à vobis eſt, cogitate Iſidorum veſtrum, ſolertiam veſtram minus quàm Dei prouidentiam æſtimate,
Sap. 1. cum Iſidoro Sancto: *Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate*
Pſal. 33 *cordis quærite illum;* quia *inquirentes*
Domi-

Dominum non minuentur omni bono. Ille vxoribus veſtris, ille multitudini liberorum abundè proſpiciet, cum Iſidoro fiduciam habete, ille modicis eduliis trecentos, pauculis panibus in deſerto quinque millia Chriſtus pauit: Chriſtum cogitate, omnem ſollicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi eſt cura de vobis, in illum reſpicite, neque ſi quid acceſſit fœliciter, id veſtris ſudoribus, anxiis nimirum & præter ordinem magnis imputate, in illum reſpicite, qui ſolus bonus ac potens eſt, *qui parat terræ pluuiam, qui producit in montibus fœnum & herbam ſeruituti hominum: qui dat eſcam omni carni, & pullis coruorum inuocantibus eum*, qui aperit manum ſuam & implet omne animal benedictione. Ingẽs in eum Iſidori fiducia Pſ.146.

fuit,

fuit, quæ naturam vicit, quæ miraculis etiam potioribus coruſcauit. Olim famoſus ille Hebræorum Legiſlator portentorum operatrice Pſal. 77 virgula *percuſſit petram & fluxerunt aquæ, & abierunt in ſicco flumina*, quibus ſiti moriturus alioquin exercitus refocillatus eſt. At mirabilior Iſidorus noſter fuit, cuius egregia in Deum fides, non modò pellendæ ſiti, at ægritudinibus etiam propulſandis recreandiſque corporibus ſalutarem aquam è fonte per ſtimulum ſuum facto profudit; videte quam illuſtribus ſignis indubius animus, & vera in Deum fiducia honoretur, per illam Iſidorus in vita clarus, per illam vita functus etiam admirandus fuit. Poſt ſæcula omnino quatuor, & annis quinquaginta, corpus eius integrum in

monu-

monumento repertum, neque vlla corruptionis illuuie ſolutum, gratiorem balſamo odorem emiſit. Iure merito, vt cuius anima vitiis arroſa non fuerat, quiq́ue apud Deum conſcientiâ, apud homines famâ fragrantiſſimâ vixerat, illius caro vermibus intacta floreret, atque omnis libera maculæ etiam in ſepulchro ſuauis eſſet. Alia recenſebo prodigia: Dum viuidum illud etiamnum floridumq́ue corpus ſolemnibus cæremoniis transfertur, omnes per ciuitatem nullâ hominum admotâ manu campanæ ſonuerunt, pulſæ tum quoque multorum è corporibus infirmitates, mutis loquela, claudis non impedita ambulatio conceſſa, cæcis oculi patuêre. Etiam alij octodecim, quos, dum præcipiti caſu currus in terram labitur, fractis cer-

ceruicibus ruina illa ſepeliſſet, incolumes imploratis Iſidori ſuppetiis eualêre. Agnoſcite ô Chriſtiani potentem Dei in ruſtico manum, & meritò cum Propheta clamate:
Pſ. 112. *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo & in terra?* Non longâ ſcholarum ſalubrium exercitatione, non accuratâ ſpiritalium virorum diſciplinâ, non Aſceticorum regulis excultus Iſidorus noſter, at ſolâ doctus vnctione tantum in Chriſto profecit; ſcilicet humana non admodum æſtimemus magiſteria, vbi Deus voluerit miſerari. Tantus euaſit per Spiritum Iſidorus, de minimo alioquin, vt tanto Dei gloria maior eſſet, maximus. Ita maior elegantia artificis eſt, ſi de rudi & impolito ligno imago Dædala fabricetur. Ac

tales

tales plerumque elegit Dominus, viles, infirmos, abiectos, vt in iis videlicet clarior appareret; Auctorem ſuum imitari natura velle videtur, in minimis portentoſa eſt, in lumbriculis, formicis, apibus, animalibus minutis, vnionibus, gemmis, arboribus, plantis miracula grandiora oſtendit, languet in maximis, ita in immenſis paludibus fonticuli puriores, ita vaſta cetorum & belluarum corpora minoribus minus neruoſa ſunt. Alta mundus, atque ſublimia humana cæcitas; parua Deus & abiecta commendat. Videte qualibus modis ille regnum ſuum, ac regni quidem omnium ſeculorum, quod omnia mundi conteret, auſpicatus ſit. De altiſſimo cœlorum in terram venit, vermis etiam ipſe, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio

abiectio plebis factus, patrem elegit fabrum, matrem virginem, modeſtam, inopem; ſed cui præter Deum & virtutem nihil adrideret, in illa qui fabricatus eſt auroram & Solem æterni Patris Filius carnem & ſanguinem noſtrum aſſumpſit. Spretis in ſæculo potentibus, paſtoribus primùm, hominum candido & innocuo gregi, nata Veritas apparuit, illi iubilantium Angelorum audiuêre harmoniam. Socios elegit piſcatores, pauculos homines, indoctos, idiotas, doctrinę ſuę voluit eſſe pręcones; illos primùm rudes, ignaros, timidos etiam & non credulos ſatis, raſit, lauit, perpoliuit, cœleſtibus documentis inſtruxit, Spiritu ſancto inflammauit, forteſque iam ac intrepidos, animi tamen innocentiâ agnellos, vt ſal ad condiēdos totius orbis

orbis populos miſit, per eos de anguſto mundi angulo prodeuntes, à Solis ortu vſque ad occaſum religio dilatata eſt, vt non hominum potentiâ, non ingenio, ſed Dei manu Veritatem eſſe ſtabilitam poſteri videremus. *Non multi nobiles, non multi potentes*, inquit Apoſtolus, *ſed infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia*, abiecit magnos, per eos quos purgamenta mundi diceremus, myſteria ſua vulgauit, vt nimirum & nutibus diuinis res illas geri comprobaret, ſuperbiæque noſtræ, quæ in hominibus non naturam quâ ad imaginem Dei creati ſunt, ſed honores ac diuitias veneratur, eſſet verecundia. Ita primùm, ita poſtmodum, ita per omnem ætatem in paruis magnus, in humilibus altus, in vilibus glorioſus: in Iſidoro 1. Cor. 1

C quo-

quoque noſtro, in Ruſtico portentoſus Deus eſſe noſter voluit; in Ruſtico inquam, nulla quippe mortalium conditio maiora diuinæ erga ſe beneuolentiæ argumenta habuit præter ſimplices illos minuſque nocentes, hominum videlicet præſtantiſſimi, ſummiſque donati muneribus à Deo Agricolę fuerunt. De generis noſtri parente ait Scriptura:
Gen. 2. *Tulit Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſum voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret eum.* Abel paſtor ouium fuit, Lamech & Noë Agricolæ, Cain primus inter homines tyrannus, pauidus ſemper, & adfligente conſcientiâ malarum ſuſpicionum plenus, condidit ciuitatem, nequitiæ patrocinium, iniquitatis aſylum; Abrahamus & reliqui Patriarchæ etiam Coloni. Moſes vir

θαυ-

θαυμανδρος oues ſoceri ſui pauit, Gedeon etiam agricola prius quàm populi Iudex, Boos areæ quoque ventilator, Dauid de poſt fœtantes in Regem adſumptus, Amos paſtor & Ruſticus; licèt imperitus ſermone, ſcientiâ tamen plenus, vt Hieronymus ait, Rechab & Ionadab in agris habitarunt. Inter Romanos præclara quoque exempla ſunt, Romulus & Remus Imperij conditores Agricolæ, incunabula Tulli Hoſtilij agreſte tugurium cepit, eiuſdem adoleſcentia in pecore paſcendo fuit occupata, validior ætas Imperium Romanum rexit & duplicauit, ſenectus excellentiſſimis ornamentis decorata in altiſſimo maieſtatis faſtigio fulſit. Scipio Africanus, Fabritius, T. Quintius Cincinnatus, alij Conſulum *Ruth 3.*

optimi, ab agris ad faſces vocati ſunt, Ruſticorum Senatus plenus fuit

Curia prætexto quæ nunc micat alta Senatu,
Pellitos habuit Ruſtica corda patres.

Currus qui nec auro vinci nec pecuniâ corrumpi poterat, in ruſticatione cùm de Samnitibus & Sabinis, cùm de Pyreſio triumphaſſet extremum tempus ætatis conſumpſit. Attilium Regulum, qui ad eum à Senatu miſſi fuerant ad Imperium populi Romani ſuſcipiendũ, ſemen ſpargentem viderunt, ſed illę opere Ruſtico attritæ manus, ſalutem publicam ſtabilierunt, ingentes hoſtium copias peſſumdederunt, quæq; modò arantium boum iuga rexerant, triumphalis currus habenas

habenas retinuerunt. Nec iis rubori fuit eburneo ſcipione depoſito agreſtem ſtiuam aratri repetere. Externa memorabo; Nabuchodonoſor, Darius, Cyrus, priùs Agricolę, demum Monarchæ, Pharaotes Indorum Rex oleribus, palmis, aliarum arborum quas ſua manu plantauerat, fructibus veſcebatur; Inter noſtros Eremitæ Monachi Regum filij rura coluêre. Meritò Tullius, omnium inquit rerum ex quibus aliquid exquiritur, nihil eſt agriculturâ melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius; eadem parſimoniæ, diligentiæ, Iuſtitiæ magiſtra eſt, eadem maximè à cupiditate diſiuncta, & cum officio coniuncta, eadem virtutum mater, innocentię cuſtos. Si mores attingam: aurea ruri, ferrea in vrbibus ſæcula

L. 1. off.

pro Roſcio Amer.

durauêre, puri ſaltus, impura palatia
pulchrè laudauit eam Hippolytus:

Non alia magis eſt libera, & vitio carens,
Rituſq́; melius vita quæ priſcos colat,
Quàm quæ relictis mœnibus ſyluas amat:
Non illum auaræ mentis inflammat furor,
Qui ſe dicauit montium inſontem iugis;
Non aura populi, & vulgus infidum bonis,
Non peſtilens inuidia, non fragilis fauor.
Non ille regno ſeruit, aut regno imminens
Vanos honores ſequitur aut fluxas opes.

Eadem militię idoneam progenerat iuuen-

iuuentutem, ita fortiſſimos ex ea viros, maximeque ſtrenuos ac probos naſci Cato Maior aſſerebat, ac verò quæ Romanum Imperium condidit? quæ vis firmauit? vtique non alia quàm

Ruſticorum maſcula militum
Manus, Sabellis docta ligonibus
Verſare glebas, & ſeueræ
Matris ad imperium reciſos
Portare fuſtes:

Ex iis Romana, ex iis aliarum gentium orta nobilitas, quos quia Scipio Naſica alicubi contempſiſſe videbatur, petitæ ædilitatis à populo Romano repulſam tulit. At cuius tam diſerta, tam luculenta poſſit eſſe oratio, quæ commoda, quæ ruris opes, quæ honorem recenſeat? Nulla Agriculturæ fœnora comparari poſſunt. Iterum audite Romanæ

eloquentiæ patrem : Semper boni aſſiduique domini referta cella vinaria,olearia,mellaria,&penaria eſt, villaque tota locuples atque fœcunda,abundat porco,hœdo,agno,gallinâ,lacte,caſeo,melle. Iam hortum ipſi Agricolæ ſuccidiam alteram appellant,tum conditiora facit hęc, & ſuperuacanei operis aucupium atque venatio. pulchrè eadem expreſſit Poëta Græcus

Δικαιότατον κτῆμ' ἐστὶν ἀνθρώποις ἀγρός
Ὧν φύσις δεῖται γὰρ ἐπιμελῶς φέρει
Πυροὺς ἔλαιον οἶνον ἰσχάδας μέλι
Τὰ ἀργυρώματα δ' ἐστὶν ἤτε πορφύρα

Εἰς

Εἰς τοῦτο τραγῳδοὺς εὔθετ', οὐκ ἐς τὸν βίον.

Carere cæteris pænè omnibus poteſt, vna eſt agricultura ſine qua ſocietas humana collabaſcit. Illa aliarum artium parens & nutrix eſt, eâ bene habente cætera valent, neglectâ, terrâ mariq́ue iacent omnia; ipſa Regum purpura conculcatur, ipſa Principum concidit maieſtas, ſi ruſtico labore non fulciatur. Ab agris tributa, ab agris edulia, ab agris omnes etiam Magnatum delitiæ. Quãta eorum apud Phryges olim reuerentia fuit! apud eos qui vel bouem arantem occiderat, aut aliud agris aptum furto ſuſtulerat, morte punitus fuit. Iam verò quis oblectamenta ruris non percipit, quis agrorum & ſaltuum, quis fontium, ſyluarum-

rumque amœnitatem? Eam magnis Encomiis ingenia maxima extulêre.

Felix nimium prior ætas!
Contenta fidelibus aruis,
Nec inerti perdita luxu,
Facili quæ ſera ſolebat
Ieiunia ſoluere glande.

Non vſquam liquidiora gaudia, non vſquam purior voluptas:

Aſpice curuatos pomorum pondere ramos,
Vt ſua quod peperit vix ferat arbor onus.
Aſpice labentes iucundo murmure riuos;
Adſpice tondentes fertile gramen oues.
Ecce petunt rupes præruptaque ſaxa capellæ,

Vt

Ut referant hœdis vbera plena ſuis. Ouid. l. 1. de Rem.
Paſtor inæquali moduletur arundine carmen,
Nec deſunt comites ſedula turba canes:

Exclamare cum Venuſino Poëtâ cogor:

Beatus ille qui procul negotiis
Ut priſca gens mortalium
Paterna rura bobus exercet ſuis
Solutus omni fœnore,
Nec excitatur claßico miles truci,
Nec horret iratum mare
Forumque vitat & ſuperba ciuium
Potentiorum limina.

Minora ſcilicet iſtic ſæculi pereuntis inquinamenta, minora noxarum pericula, non enormibus flagitiis violatur bonorum pudor, peccan-

tum illecebræ, & ſcandala rariora, non impedita ad virtutem & innocentiam via, ad ſanctitatem & Iuſtitiam libertas maior. Vt alia deſint vel tuo id exemplo Iſidore nos docuiſti, in eo vitæ ſtatu ad omnem virtutem progreſſus es. Miramur te nunc ô Diuorum candidiſſime, prodigia tua factaque illuſtria lubentibus quoque præconiis attollimus, etiam ſupplicibus votis te inuocamus. Regiæ Ciuitatis Patronus declaratus es, Tuis ergo precibus Auſtriaca ſtirps ad ſalutẽ orbis terrarum nata imperio potiatur, tuâ apud Deum poteſtate Rex Catholicus viuat, contumaces frangat & domet hæreticos, Regia domus ſalua ſit & incolumis. Adeſto Sancte Iſidore, Belgaſque de tuis etiam laudibus ſollicitos indulgẽtior adſpice,
adſpice

adſpice, hoc vnum te noſtræ obteſtantur Prouinciæ, in hoc publica feruntur deſideria, adſpice Principem Iſabellam, vti tuo nomini deditam, ita cunctis ornatam virtutibus Heroinam, per te illa miſeros alioquin & adflictos Belgas, quàm diutiſſimè ſalubribus conſiliis ac ſummâ animi præſtantiâ moderetur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

APPROBATIO.

B. Iſidorus Agricola à doctiſs. Ant. Sandero Presb. S.Th.Licent. ſtylo exornatus, dignus eſt prælo, hac 20. Ian. 1623.

Antonius Smets Canonicus
& Archipresbyter Gand.

Idem mihi infraſcripto videtur. Hac 17. Februarij, Antuerpiæ anni 1623.

Laur. Beyerlinck Canonicus
& Archipresbyter Antuerp.